



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput II. Christus in domo Annæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

nes, filios tenebrarum, in tenebris concubiâ nocte per plateas debacchantes, tumultuantes, digladiantes: videbat tot procaces, & salaces procos ad fores amasiæ totam noctem blandè lenocinantes; alios cum citharis, & nabliis, cum fistulis & tympanis, Mœnadum ritu, solum pulsantes: alios nescio quàm insaniam insanientes. Hæc prospiciens de machinâ Filius DEI, ut horum expiaret scelera, descendit ad nos, factus viator, ne deviarent peregrini: summo furore noctu trahitur, ut nocturnos illos erroneos ad se trahat: raptatur cum dedecore per plateas Jerusalem, propter eos qui rapiuntur per plateas Babylonis: ab omnibus illuditur, propter eos qui noctu ludunt ludos insolentes. Sic tu Christe qui dixisti, *Ego sum via*, ambulâsti vias difficiles, propter eos qui veloces sunt ad currendum per viam latam, quæ ducit ad mortem, donec lassati in via iniquitatis deficiant in via. Tu via, sine qua devio, sine qua erro, sine qua declino à calle salutis, me ovem errantem, & seductam reduces ab errore ad viam; adducas à peccato ad gratiam; deducas ab exilio ad patriam.

Ioan.
14. 6.

C A P U T II.

Christus in domo Annæ.

§. I.

Interrogat Annas Christum de discipulis.

AMbulaverat per vias invias cum iniquis is, qui omnem viam iniquam odio habuit, & qui est via, cum admissus in domum Annæ, hoc est officinam nequitia, interrogatur de Doctrinâ, qui est Veritas, &

Pf. 118.

128.

F 4

cædi-

Matt.
23. 8.

cæditur tanquàm reus mortis, qui est Vita. In hac domo, velut in cœlestis scientiæ schola, discemus ab illo, qui *unus est Magister omnium*, quanta sit profanæ doctrinæ vanitas, quæ Christianæ doctrinæ veritas, quanta inter utramque diversitas.

Iob. 21.
14.

Ioan. 18.
19.

Convenerant ut Christum circumconvenirent in domo Annæ, Legisperiti, Scribæ. Seniores; hoc est solertissimi Jerosolymæ nebulones, avidi magis Christi cognoscere, quàm admittere scientiam: erant enim ex iis, qui dicebant cum illis sciolis: *Scientiam viarum tuarum nolumus. Pontifex ergo interrogavit IESUM de discipulis suis.*

Quis, quem interrogat? discipulus Magistrum, servus Dominum, reus Judicem. Annas Christum, homo DEUM. Quis, quem interrogat? ignorantia Scientiam, stultitia Sapienciam, vanitas Veritatem, vox hominis Verbum Patris. Quis interrogat, audivimus; quem interrogat, intelleximus: sed modò quid, & de quo interrogat, discutiamus? Pontifex interrogat JESUM de discipulis suis; cur videlicet eos congregasset, & cur suæ doctrinæ auditores non elegisset ex porticu Zenonis Stoicos, vel ex Lycæo Aristotelis Peripateticos, vel è Platonis luco Academicos, vel ex Athenæo grandiloquentes oratores? Cur homines elegerit imperitos, bardos, idiotas, scientiarum omnium rudes, meros truncos, & stipites, conditione viles opificio abjectos? videri illum 12. piscatores contra 12. Patriarchas, & 72. discipulos contra 72. seniores, tanquam auctorem novæ alicujus legis, velle designare. Christus interrogatus de discipulis, cum nihil posset ad illorum laudem adferre boni, & nollet ad illorum contumeliam quidquam proferre mali, si-

luit,

luit. Sed à Christi discipulis ad vos, qui estis in mundi Academiâ discipuli, me converto. O Academici, quantum temporis impendistis, ut ea sciretis, quæ scivisse plus forsitan ad salutem obe- rit, quàm proderit? Tu cùm adhuc esses puer e- lementarius, cœpisti frequentare ludum litera- rium, & discebas *α. & ω.* adhuc ignorans eum qui dicit: *Ego sum α. & ω. principium & finis.* Inde gradum faciebas ad scholam Prisciani, & disce- bas declinare nomina; non tamen declinabas vitia; imò inclinabas, inclinante ætate, in majora flagitia. Crevit ætas, & cum ea accrevit ut stu- dendi labor, ita & discendi ardor. Ita ut de pue- ro dici possit illud Poëtæ, *Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alfit.* Dilapsus es ad altiores scholas, in- de ad Academiam. Itaque sexennium, vel am- plius impendistis politiori literaturæ pueri, bien- nium Philosophiæ adolescentes, triennium cir- citer Medicinæ, aut Juris-Prudentiæ juvenes; ecce 12 annos, ecce pueritiam, adolescentiam, juventutem exactam in Academia mundi. Quis ex 12. illis annis 12. horas consecravit doctrinæ Christi? Jam didicistis construere periodos, pan- gere metra, concionare orationes, contexere syl- logismos, explicare leges. Hæc omnis tot annis, tantis expensis, tam molestis laboribus, acquisita doctrina, quid conferet ad salutem? quanta ho- minum cæcitas! obeuntur plateæ, frequentan- tur scholæ, pulsantur pulpita, fatigantur ingenia: elucubrant passim homines integris noctibus ad lampades; volvunt, & revolvunt ingentia libro- rum volumina, impallescunt chartis, consumunt quidquid habent olei, vociferantur ad ravim us- que in gymnasiis, legunt, scribunt, discunt, & postquam omnia didicerint, coguntur cum Sto-

Scien-
tia pro-
fana la-
bore
acqui-
ritur.

Apoc. 1.

*Virg.
Æneid.*

ico illo (Socrate) dicere : *Nihil scio, nisi hoc ipsum, quod nihil sciam.* Tanti emitur ignorare. Tota teritur vita, ut quis audiat doctus, vix ex totâ vitâ impenditur dies, ut evadat pius. O vos omnes variarum scientiarum discipuli, quàm diu audietis Magistros prurientes auribus? unus est Magister vester JESUS. cui idcirco mandanti omnes parere, discernenti subscribere, suadenti auscultare debent, nisi velint & DEO esse ingrati, & sibi ipsis inimici. Paucos is habet discipulos, sed selectos, & electos. Jam vos mundi discipulos interrogo, ut cæcus ille Judæos: *Nunquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* vos, qui tot annos trivistis in Lyceis & studuistis comparandæ scientiæ, quæ inflat? vos, qui toties audivistis patrem mendacii loquentem ex cathedrâ pestilentiæ? vos, qui tot laboribus vos frangitis, ut pollearis *sapientia hujus mundi*, quæ est nisi *stultitia apud DEVM* : *nunquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* ejus, qui est Veritas, & idcirco non potest fallere: ejus, qui est Sapientia, & idcirco non potest falli: ejus, qui est Verbum Patris, & idcirco non loquitur nisi verba vitæ: ejus, quem audire, salus est audientis: ejus, qui quidquid egit, disciplina est agendi: ejus, cujus omnis, & actio, & passio, nostra est instructio: *nunquid & vos vultis ejus discipuli fieri?* Credo hoc omnium esse votum. Jam fors cujuslibet vox est illa, quæ illius in Christi schola discipuli: *Tadet me sæpè multa legere, & audire: in te totum est quod volo & desidero.* Nos ergo pronis in terram genibus, conversis ad Jesum mentibus, apertis ad ejus verba auribus, exclamemus cum eodem Christi discipulo: *Taceant omnes doctores, sileant universa creatura in conspectu tuo, tu mihi loquere solus.*

IOAN. 3.
27.

1. Cor. 3.
19.
IOAN. 8.
27.

à Kemp.
l. x. c. 3.

§. II.

Interrogat Annas Christum de doctrina ejus.

Non sufficiebat Annæ Christum interrogare de suis, quos docebat, discipulis; sed voluit & de sua, quam tradebat, doctrina.

*Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, 10.18.19
& de doctrina ejus. O Anna! si scires donum Dei, & quis est quem tu interrogas, non tu sederes in folio turgidus fastu, sed inclinares te usque ad solum coram illo, in cuius nomine flestritur omne genu. Interrogat eum de doctrina, qualis esset? unde eam haulisset? quibus magistris didicisset, cum non esset nisi fabri filius? videri illam peregrinam, & à Moysis, ac Prophetarum doctrina dissentire. Mirabatur deinde, unde tanta in tam humilis sortis homine auctoritas, ut novâ illâ suâ doctrinâ tot discipulos ad se pelliceret, ut turbæ hominum ab ejus docentis ore penderent, & tam cupidis auribus verba exciperent. Quapropter sperabat, si Christus suam doctrinam explicaret, facile ab eo aliquid dicendum, in quo merito esset arguendus. Itaque multis de doctrina, quam passim hæctenus tradiderat, studiosè interrogat. Quid agis Anna? Tu illum audes interrogare, qui si interroget te, non poteris ei respondere unum pro mille: si enim repente interroget, quis respondebit ei? Si doctrinam ejus ignores, non opus est eum interrogare, sed sequere consilium Job: Interroga jumenta & docebunt te: & volatilia cæli & indicabunt tibi. Loquere terra, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Hæc omnia ab ipso facta, de eo*

Iob. 9. 30

Iob. 19.

12.

Iob. 12.

7. 8.

de eo annuntiabunt non tantum cum Judæis; bene omnia fecit, tanquam potens in opere; sed bene omnia dixit, tanquam potens in sermone. Dixit enim & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt. Inter omnes, quæ in omnibus scholis, gymnasiis, Academicis agitantur, & ventilantur quæstiones, nihil rogatur utilius, nihil interrogatur laudabilius, quàm de doctrina Christi. De hac tamen doctrina quàm pauci, & quàm paucis interrogant? Omnis solertia intellectus, omnes nervi ingenii, omnes vires industriæ occupantur, & fatigantur circa doctrinam mundi. Christi doctrina est omnibus peregrina. Quot sunt qui interrogant de doctrina Porphyrii, & Aristotelis Philosophi? de doctrina Galeni, & Hippocratis, Medici? de doctrina Euclidis, & Archimedis, Mathematici? de doctrina Baldi, & Bartholi, Jurisperiti? Audi Philosophæ, quid dicat ille de Christi doctrina doctissimus Idiota. *Melior profecto est humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus Philosophus, qui se neglecto, cursum cœli considerat.* Audi Theologæ, quid idem dicat: *Quid prodest alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati?* O Christe, interrogamus & nos cum Anna de tua doctrina. *Magister* (hoc enim nomine tu teipsum appellasti) *scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: dic ergo nobis quæ est doctrina tua? Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* O nos malos magistri boni discipulos! qui ita paupertatem odimus, ac si vetuisset nos paupertatem amplecti; ac si præcepisset rejicere. Quid deinde doces? *Diligite inimicos vestros.* Nos inimicos insectamur maledictis, diris omnibus devovemus, persequimur odio, cædimus quin etiam, ac si Christus dixisset: *Occidite inimicos vestros.* Doctrina

Marc. 7.

37.

Luc. 14.

19.

Ps. 32. 9.

doctri-
na Chri-
sti om-
niũ uti-
lissima.à Kemp,
l. 1. c. 2,Idem l. 1.
cap. 2.Marc.
22. 16.Matt.
5. 3.

Ibid. 44

Doctrina Christi est: *Qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat humiliabitur.* Nos non plaris facimus illa Christi verba, quàm si aliquis è trivio verbosus blatero, vel circumforaneus sycophanta illa pronuntiaffet. Non sunt hi discipuli Christi: vel si sint, non tam sunt ad disciplinam, quàm ad magistri infamiam. Nam, teste Chrysologo, *Magistro magnam facit injuriam, qui se discipulum fatetur ejus, cujus non sequitur institutum: nam sicuti discipuli prohibitas, laus est magistri: sic magistri vituperatio, discipulus nesciens disciplinam.* Quid nos qui agnoscimus Christum esse unum nostrum Magistrum, tergiversamur amplecti ejus doctrinam? Christi doctrina est certa, & de illa ambigimus: est sancta, & illam non admittimus: est secuta, & de illa timemus. Christi doctrina à Patre æterno est approbata, à Spiritu sancto confirmata, sigillo veritatis obfirmata, infinitis prodigiis stabilita. Docuerat Christus, *Beati pauperes spiritu:* & ecce, immensa hominum multitudo, spretis opibus, abjectis facultatibus, contemptâ opulentia, paupertatem non tantùm sunt secuti, sed amplexati: certi, non esse pauperem qui nihil habet, sed qui multa concupiscit. Docuerat Christus, *Beati mundi corde:* & ecce myriades juvenum, & virginum perpetuo castitatis voto se obstrinxerunt, ut cor mundum crearet in ipsis Deus; non ignari, Angelis quàm hominibus magis esse proprium, in corpore vivere quasi sine corpore. Docuerat Christus, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Et ecce, agmina Martyrum, ignes & lampades, carceres & vincula, unguis & equuleos, rotas & cruces, invicta animi magnitudine pertulerunt, & securi calcaverunt omnia genera

tor-

Matt.

25. 12.

Serm.

94.

Matt. 5.

tormentorum, parte sui corporis jam sepulti antequam mortui: sciebant enim interesse ex qua causa, non ex quo pendeas stipite. O doctrina quæ non traditur in Synagoga Sathana, sed in schola æternæ Sapientiæ! Mihi non loquatur Plato, non Aristoteles, non Hippocrates; crepant illi phalerata, bombifantia, & sesquipedalia verba: pulcherrimè dicunt, sed turpissimè vivunt. Te solum loquentem audiam, de quo Pater dicit:

Apoc. 3. 9. *Ipsam audite.* Lubens ero in tua Academia discipulus, in tuo gymnasio alumnus, in tua schola auditor. Pluris est unica tuæ doctrinæ sententia, quàm omnis Philosophorum scientia. Non est jota unum, aut unus apex in tua doctrina, qui non sit expressus digito Dei: non ergo de tua doctrina quasi ambiguus interrogo, sed unum supplicissimè rogo: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Matt. 17. 6.

Pf. 142. 16.

§. III.

Respondet Christus Anna de sua doctrina.

INterrogatus magnus ille Magister & cœlestis Academiae professor, de sua, quam tradiderat, doctrina, eam rectam esse, ac sanam probat, partim ex loco, ubi docuit, partim ex auditoribus, quos docuit, dicens:

Ioan. 18. *Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce, hi sciunt, quid dixerim ego.*

Pról

Prò ! quanta hic Christi funibus victi, stantis instar rei coram supremo Pontificis tribunali, in tam honesto, & suspiciendo sacri senatus confessu, in respondendo libertas, in loquendo auctoritas; quale pondus in verbis, quæ confidentia! securus sine curâ, intrepidus sine metu, loquitur de sua doctrina, utpote solida, firma, certa, vera, divina. Illos ipsos vult suæ doctrinæ esse censores, qui unquam fuerant illius auditores. Quasi diceret: Quis me arguet de peccato? quædam præcepi, plura consului, plurima in templo & synagoga dixi; Quis ex his omnibus me insimulabit erroris? quis carpit verbum unum ex omnibus quæ locutus sum? quis me convincet vanæ doctrinæ? Quod si tu, Anna, nunquam ad me audiendum, neque in templo, neque in synagoga accessisti, interroga illos qui me audierunt. Nolo mihi credas: nec volo interroges Matrem meam; non appello ad discipulos: non hic allego consanguineos, & amicos; sed cito hic ipsos juratissimos meos hostes. Interroga Judam, qui me vendidit; principes Sacerdotum, qui me emerunt: hos satellites, qui me captivum huc adduxerunt: inimicos meos interroga. Illa de causâ necessariò interrogatur cujus cum de facto constet, facti tamen modus nescitur: ego autem, cujus causa à te nunc tota in doctrinâ constituitur, *palam locutus sum*. Hæresim non docui, sed veritatem: nec enim hæc res in angulis gesta est, nec lucem odit; cur auditores non interrogas? Ad hæc quid me reum interrogas, quem indignum judicas cui credatur; si malum est docuisse, malè agunt omnes legis interpretes: si verò malè docui; hoc oportebat non ex propria suspicione, vel
invi-

Eccl. 24.
 5
 Doctrina.
 Christi
 aliarum
 omniū
 prin-
 ceps.

invidia, nec ex calumniatoribus, sed ex auditoribus discere: & quia non permittitur in legitimo iudicio, ut quisquam sibi testis sit, ideo more, & lege iudicii ad auditores meos appello. Ex tanta illic adstantium multitudine, nemo unus repertus est, qui ausus fuit hiscere, vel in minimo ejus doctrinam carpere. O sacrosancta doctrina, quæ prodiit ex ore illius, qui ipse ex ore Altissimi prodivit! ô dignam excipi omnium auribus, imprimi omnium mentibus, exprimi omnium moribus doctrinam! cujus vel unicum verbum, aut verbi apex unus pluris est, quam omnium Philosophorum axiomata, Rhetorum declamationes, Mathematicorum demonstrationes, Medicorum aphorismi, Jurisperitorum leges, Sapientum effata, Politicorum placita, Doctorum apophtegmatata, Vatum oracula, Poëtarum carmina, quam omnia omnium profanorum librorum volumina, quæ hæcenus fuere, sunt, velerunt: & tamen hæc doctrina à paucis quæritur, à multis despicitur, à plurimis ignoratur. In hoc puncto, obsecro quisquis ades, ut maturè consideres, quantum laboris impendatur pro doctrina illa, quæ ad salutem non tantum non est necessaria, sed sæpè noxia: quot in omnibus tot regionum civitatibus sunt librariæ officinæ, quot Bibliothecæ vastissimis librorum tomis instructissimæ: quot excogitata argumenta, contexti syllogismi, propositæ quæstiones, defensæ theses, oppugnatae positiones, institutæ disputationes; quam totâ totius mentis contentione in studia incumbendo, fatigarunt ingenia, cogitando exhaurerunt vires industriæ, scribendo occuparunt digitos, legendo confecerunt oculos: & hoc ut in Academia gauderent titulo, vel in Philo-

Philosophicâ doctissimi, vel in medicâ expertissimi, vel in Juridicâ clarissimi, vel Theologicâ disciplinâ eximii Domini. Hęc tanta pro inani scientia nihil pro conscientia; hoc totum pro doctrina mundi, nihil pro doctrina Christi. Nihil pro illa scientia, quę una est omniũ sciētiarum princeps, cui comparata omnis scientia, est ignorantia: quę erat tota, & Philosophia, & Theologia D. Pauli. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi IESUM Christum, & hunc crucifixum.* Fortasse dices, non vacare tibi, ut vaces huic scientiæ comparandæ. Hęc ipsa excusatio atrocissimè te accusat. Ita que aures arrige, si contempnas hanc doctrinam Pauli, ad verba D. Paulini: *Omnium Poetarum floribus spiras, omnium oratorum fluminibus exundas. Philosophia quoque fontibus, peregrinis etiam litteris dives, Romanum os Atticis favis implet. Quæso te, ubi tunc tributa sunt, cum Tullium, & Demosthenem perlegis, vel jam usitatorum de saturitate fastidians lectionum Xenophontē, Platonem, Catonem, Verronemq; perlectos revolvis; multo sc̄q; pratereà, quorum nos fortè nec nomina, tu etiam volumina tenes? ut istis occuperis immunis, & liber; ut Christum, id est, sapientiam Dei discas, tributarius & occupatus es. Vacat tibi ut Philosophus sis, & non vacat tibi ut Christianus sis? Verte potius sententiam: verte sacundiã. Nam animi Philosophiam non depones, licet, dum eam fide condias, & religione conserta utare sapientius: ut sis Dei Philosophus, & Dei Vates: non quarendo, sed imitando Deum sapiens, non tam lingua, quàm vita eruditus, tam differas magna quàm facias: esto Peripateticus Deo, Pythagoras mundo: verè in Christo Sapientie prædicator, ac tandem tacitus vanitati perniciosam istam inanum dulcedinem litterarum quasi illos patriæ oblittores, de baccarum suavitate lotophagos, & Syrenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus evi-*

1. Cor. 2.
2.

Epist. ad
Iovium.

ta; melius est tenere te potius quarentem divina quàm
 querere disputantem. Sic ipse. In schola Aristotelis
 nil disces nisi verba, & voces: de verbo æterno,
 nullum verbum. In Christi schola, Aristotelis
 scientia est inscitia, tullii eloquentia est infantia,
 Carnis prudentia est stultitia. Sub Christi magi-
 stero, disces contemnere, & contemni; contemni
 à mundo, & contemnere ea, quæ sunt mundi. Et
 hæc demum est utilissima lectio, sui ipsius despe-
 ctio. In illo die novissimo claudentur viris littera-
 tis omnes, ne studeant, Bibliothecæ, & ne legant,
 libri; tunc liber scriptus proferetur, in quo totum conti-
 netur, unde mundus iudicetur: tunc non quæretur
 an bene dixeris, sed an Christianè vixeris: non
 interrogaberis an sciveris decem Aristotelis præ-
 dicamenta, sed an observaveris decem Dei præ-
 cepta: nulla tunc erit quæstio de verbis & voci-
 bus, sed de actis & moribus: tunc humilitas, quæ
 est Christi lectio, omnibus scriptoribus, librisque
 major, omni calamo, scientiaque altior, omni pa-
 gina, membranaque doctior, omni ingenio ele-
 ctior, tanto ibi splendet gloriosius, quanto
 hic delituit obscurius.

§. IV.

Christus percutitur alapâ.

FUimus Christi, dum locutus est, auditores; superest ut ejusdem, dum patitur, simus spectatores, ut cujus audivimus verba, aspiciamus & suspiciamus, ut imitemur, acta. Cum Christus visus esset liberius, quàm reum decebat, Pontifici loqui; *Vnus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici?*

Quanta prius elaxit Christi in loquendo sapi-
 entia,

entia, tanta elucet & hic in sufferendo patientia. Responderat mitissimâ voce quærenti de ejus doctrina Pontifici, publicè se, palamq; docuisse, neq; unquam sua dogmata obscuris in angulis aperuisse. Hic emissarius quidam, abjectus terræ filius, Annæ satelles, excussissimâ palmâ os ejus verberat. Quid hic prius mirer? quid posterius? An modestiam Domini percussi, an impudentiam servi percutientis? Modestiam intelliges si locum, personas, modum, & alia quæ hoc facinus exaggerant, expendas. Primò fuit hæc alapa multò maximè crudelis, quia impacta ab irato satellite, à furibundo homine, qui ardebat desiderio vindicandæ injuriæ, ut opinabatur, Domino suo illata. Deinde impacta fuit manu ferreâ, chirothecâ armata, ita ut vestigium alapæ in vultu illo specioso, ac adorando impressum fuerit. Tam tanta vi incussa fuit, ut faciem Christi ad Judicem conversam, in alteram inflexerit partem, & (ut ait S. Vincentius) in terram Dominum prostravit. Ad hæc, fuit illa percussio supra modum ignominiosa, & oppidò probrosa; utpote in corona nobilissima tot illustrium doctrina, auctoritate, ac munere virorum: fuitq; illata hæc injuria à sordido terræ filio, ab infimo ex face plebis satellite, & à mancipio abjectissimo, in personam, terræ, cæli, totiusque universi longè dignissimam, & in partem ejus honorabiliorem, id est in faciem, siue vultum formatum à Spiritu S. Accedit ad injuriæ exaggerationem, servi in loquendo impudentia: *Sic respondes Pontifici?* quasi dicat: *Sic?* tanta fiducia? illâ libertate? tam impudenti arrogantia? *Sic?* nullo habito respectu illius quam alloqueris personæ? *Tu respondes?* *Tu* terræ propudium, hominum ludibrium, abjectum cadaver, humilli-

num mancipium, putide homuncule, qui ob nefanda crimina captus, vinctus & reus, hic adstas? sic tu respondes Pontifici, cujus tu non es dignus, ut solvas corrigiam calceamenti ejus? Pontifici qui Princeps est Synagogæ, caput sacræ curiæ, supremus Mystrarum Antistes: dignissima denique totius orbis persona, ac mundi oraculum? Sic respondes Pontifici? Fuit denique hæc percussio injustissima, utpotè vindictæ sumendæ gratiâ inculsa, & ad calumniosè exprobandam responsionem prudentissimam, & data à temere judicante. Iniquum profectò est judicium, ubi ante prolatam sententiam quilibet potestatem habet in reum. Iniquissimus est & judex, qui videns reum ante prolatam sententiam affligi, tacet, & non prohibet, vel saltem non carpit, & increpat. In hæc alapa impletum est vaticinium illud, *Dabit*

Thren. 3.

percutienti se maxillam: est enim alapa percussio in maxillam, sicut colaphus est percussio in collum. Non dubito quin ad solam commemorationem tanti sceleris cohorrerint vobis animi, & tacite ipsi tanti sceleris auctorem non tantum ad mortem, sed ad ferocissimum, quod excogitari possit, supplicium mortis condemnaveritis. Sunt fortasse qui sentiunt cum Augustino sic

A Ludolpho. Saxone.

loquente: si cogitemus quis acceperis alapam, nonne vellemus eum, qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente serberis, aut correptum: demonio voluntari: aut alia hujusmodi qualibet pœna vel etiam graviore puniri? Quid autem horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos voluisset docere, per quam vincitur mundus? Juvat hic excitare torpentem, & languentem Justitiam. Hæc spectas ô æqua scelerum vindex Justitia, & inulta spectas? non evibras fulgurantem tuū gladium?

diū? non educis è vagina romphæam illam bis acutam; non intendis arcum tuum, & jacularis è flammeo nubium globo sagittas ardētes? ubi fulmina tua & tonitrua, cur jam non pluis super Jerusalem sulphur & ignem, cur non rumpis omnes fontes abyssi magnæ, & catartas cœli aperis? hic exere tuas vires; habes hic sæviendi & materiam amplissimam, & causam justissimam. Intelligat sacrilegum caput, ex gravitate pœnæ, gravitatem culpæ: descendat vivus ad infernum: pereat homo perditorum perditissimus. Sed dum ego sic provoco ad vindictam DEI Justitiam, videor audire reponentem DEI Misericordiam: *Nescitis* *cujus spiritus sitis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Perderet animas, si homines perditos semper pro merito plecteret. Dixerat Christus prius: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Quæ illic fuerant verba, hic sunt opera: quod tunc docuit faciendum, nunc facit, verè mitis, & humilis, qui injuriam vindicare cum potuit, & tantum non debuit, noluit: imò inultus sustinuit. Hæc est in cœlesti academia, doctrina Christi: nulli reddere malum pro malo, non vindicare alapam alapâ, non punire injuriam injuriâ, non rependere contumeliam pro contumelia, sed esse mitem ore, humilem corde, & quo animo sustinere quascunque à quocunque illatas injurias. Scio, Mundi Academici explodunt hanc doctrinam, reputant eam esse merissimam insaniam: censent illam tolerantiam, esse imbellis, & effœminati animi pusillanimitatem: ipsorum enim doctrina est dentem pro dente, alapam pro alapa, vulnus pro vulnere, sanguinem pro sanguine. Illorum fortitudo est, injuriam inferre, non perferre. Hinc si quis eorum, non dico percutiatur

Luc. 9. 55

Matt. 11.

29.

Injurie
patienter
ferendæVindi-
ctam in-
jurie
requirit
mundus

alapa, sed si intonet in auribus illa vocula, *Mentiris*, quanta intemperie agitatur? ebullit sanguis, ardet vultus, scintillat oculi, debacchatur lingua, armatur manus, cœlum replet querelis, hostem devovet omnibus diris, coquit animus vindictâ, molitur illi necem; provocat ad singulare certamen, acuit gladium, quo illum trucidet; obsidet armatus vias ut illi accidat infortunium; tunc se judicat cœlum contigisse digito, si possit in ejus sanguine lavare manus: diceres unam illam vocem, esse fulmen. Quid hic dicam nisi illud D. Bernardi? Vel mundus errat, vel Christus; mundus, qui vult incuti alapam pro alapa; Christus, qui vult accipi alapam sine alapa. Nullus dubito, si quærat hic vestrum judicium, uter hic errat; erit conspirans omnium sententia, errare mundum. Itane verò? tu approbas Christi doctrinam, laudas ejus exemplum, asseris faciendum quod ille fecit; affirmas errare mundum, qui opposita docet? *Nunc ex ore tuo te judico serve nequam.* Dum Christi exemplum approbas & commendas, te ipsum judicas, & condemnas. Tu hic coram Christo credis, & judicas æquo animo, Christi exemplo, sustinendas esse injurias, nec esse vindicandas: ergo necesse est te esse plane improbum, qui quod ab aliis improbas fieri, ipse facis; & quod probas, facere negligis: Scienti, & non facienti peccatum est illi. Scis non debere fieri, & tamen facis: ergo non te excusat ignorantia; ergo accusat te malitia, & condemnat te conscientia. Quid jam gloriaris nomine Christiani, qui tam es alienus à virtutibus Christi? Christus pro te sine vindicta pertulit alapam; & tu non potes pro Christo perferre minimam verbo illatam injuriam? Hocne est Christum diligere, sic vilipendere
 exem-

Serm. 3.
 de Nativ.
 Domini,

Luc. 19.
 22.

exemplum Christi? O Fili DEI vivi, *splendor gloria*, Hebr. 11.
 & *figura substantia ejus*, quis in tua Divina facie im- 13.
 pressit signum, & figuram tam detestandam? Hæc,
 hæc fuit manus illa execranda, quam extendit ad
 vindictam, iracundia; ad impudicitiam, luxuria;
 ad iniquitatem, injustitia. O Pater æterne! cu-
 jus hæc est è tonitruanti cælo vox illa fulmina-
 trix, *Levabo ad cælum manum meam, & dicam: Vivo* Deut. 32.
ego in æternum. Si acvero ut fulgar gladium meum, & 40.
arripuerit iudicium manus mea: reddam retributionem
hostibus meis. Manum tuam longe fac à me, & noli re- Job. 13. 18
spicere manum percutientem, sed faciem per-
cussam: & propter amorem quo te prosequitur
Filius, & quo tu prosequeris Filium, desine me
prosequi inimicum, ut aliquando videam illam
faciem à me, & pro me percussam, non per specu- 1. Cor. 13.
lum in enigmate, sed facie ad faciem. 12.

§. V.

Christi ad servum percutientem mitissima verba.

CHRISTUS jam contra omne jus, & fas percuf-
 sus, cum videret Pontificem non fungi, uti
 par erat, suo officio: illius enim erat, illum, qui
 percusserat, corripere; functus est Christus ejus
 officio, dum illū admonuit officii: correxit enim
 servum apertè, & Pontificem tacitè, in ejus cri-
 men suo silentio consentientem, dicens: *Si male lo-* Ioan. 18.
cutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene,
quid me cædis? Non dicit si mala, sed malè, id est
 malo animo, pravaq; ratione, *testimonium perhibe*
de malo. Non enim est vel malitiæ, vel arrogantia
 argumentum, constanter, & liberè loqui pro ve-
 ritate, & de illa gloriari, illamq; judici objicere
 ad patrocinium. *Testimonium perhibe de malo.* Tue
 um non est mox vindicare, ut justitiæ executor,
 sed

sed ut testis ostendere me malè locutum. Quanta hæc Christi post tam atrocem injuriam in respondendo modestia, in patiendo tolerantia! Ad ignominiosam illam alapam non turbatur animo, non ardet in iras, non solvit linguam in diras & maledicta, non extendit manum ad vindictam: non imperat cælo, ut in hominem sacrilegum rubentes jaculetur faces, quod Elias fecit: non feris, ut illum dilanient, quod Elisæus: non terræ, ut dehiscentes viventem absorbeat, ut Moyses in Dathan & Abiron. Quid tu simile, non dico post acceptam alapam, sed post auditam contumeliam? Si tibi nimis difficile, & supra humanas vires videatur patienter sustinere alapam; attende, & expendere verba D. Chrysologi, exponentis illud Christi monitum; *Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Hoc putat arduum qui præmia patientia quanta sint, nescit. Puta si ne potest ille vulneribus invenire victoriam, qui nec ictu palma acquirere vult coronam? potestne iste morte inquirere gloriam, cui pro honore divino, humana gravis videtur injuria? O utinam quivis illius esset, & audaciæ pro Christo, & amoris in Christum, ut non metueret loqui cum D. Chrysostomo: *Mihi detur injurias sustinere ob Deum, atque contemni ob Deum, potius quàm à cunctis regibus honorari: nihil enim prorsus, nihil potest huic gloria comparari. Non una, nec ab uno, sed plures, & à pluribus Christo infliguntur alapæ, etiam nunc regnanti in cælis, sedenti in throno; Christo impingis alapam, quoties ulcisceris illatam tibi injuriam; illum cædis, quoties inimico non parcis; quoties hostem percutis. Ita, ut quod olim dixit Saulo Christi discipulos persequenti: *saul, quid me persequeris? hoc tibi potest dicere inimicū cædenti, quod militi: *Quid me cædis?* Hæc interrogatio,***

Chrysol.
serm. 38.
Matth. 5.

In cap. 5.
Matth.
hom. 18.
Vindi-
care in-
iuriam
est Chri-
sto infli-
gere ala-
pam.
Act. 9. 4.

gatio,

gatio, nostra est confusio. O quanti ponderis interrogatio! constat tantum tribus oculis, sed quantum quævis vocula pondus habet! *cur me cadis?* Quæritur primò causa, *cur?* redde rei tam indignæ rationem: quæ te ad tantum flagitium causa movet? fare, *cur?* An quia cum non esses, te procreavi? An quia cum jam esses, ne desineres esse, conservavi? An quia, cum à me conservatus, jam per te perieras, redemi? An quia, postquam redemptus, gratiâ meâ excideras, sexcenties te in gratiam recepi? An qui tot tibi exhibui amoris argumenta, quot sunt viæ tuæ momenta? *cur me cadis?* An propter charitatem nimiam, qua dilexite? propter curam, quam de te gessi? propter favorem, quo te semper sum prosecutus? *cur?* quæ causa est tanti sceleris? *cur me cadis?* Me, in tui causa advocatum, in periculis protectorem, in necessitate amicum, in solitudine socium, in mœrore consolatorem? Me? tibi solitudine fratrem; amore patrem, fidelitate sponsam, felicitate summum bonum, in omnibus Deum? *cur me cadis?* Multum esset mihi non placere, grave displicere, gravissimum in minimo offendere, quid cædere? *cur me cadis?* Fateor, reus sum ex omni parte, seu quærat causa cur feci, seu persona cui feci, seu injuria quam feci: causa nulla est nisi mea nequitia. Facere volui, quod minimè debui: persona, cui feci, tanta est, ut cum infinita sit ejus Majestas, debeat ei omnis honor; cum infinita sit ejus Justitia, omnis timor; cum infinita sit ejus Bonitas, omnis amor. Injuria tanta est, quanta non potest satis totâ æternitate puniri. Habebat iratum sibi Saulem David; tamen cum jam Saul esset in manu Davidis, sic ut ei posset tollere vitâ, & simul succedere in regnum, haberetq; qui ad

hoc eum stimularent amicos, respondit: *Non extendam manum meam in Dominum meum; quia Christus Domini est.* Et ego tamen extendi manum meam in te Christum Dominum, qui sum *opus manuum tuarum: manus enim tuæ fecerunt me.* Toties faciem tuam cæcidi, quoties in peccatum cecidi. quid dicam, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? quò ego jam convertam faciem meam? si suspicio, timeo fulgurantem gladium Justitiæ; si despicio, horreo inferorum barathrum; si circumspicio, video hostium minantium in circuitu exercitum. Hæc omnia ut declinem, tibi supplico, ô Pater ut non aspicias indignitatem sceleris mei, sed *respice in faciem Christi tui.*

CAPUT III.

Christus in domo Caiphæ.

§. I.

Falsa contra Christum testimonia.

Sacro plenus horrore, & ingenti attonitus stupore, ingredior domum Caiphæ, hoc est seminarium iniquitatis, auditorus ea, ad quæ ambæ aures tinnient; visurus quæ è geminis oculis deducunt exitus aquarum, fontes lachrymarum. Tu interim, qui *ures persecisti mihi*, dum hæc audio, *inclina aurem tuam mihi: sonet vox tua in auribus meis.* Tu, qui diligis me, ut *pupillam oculi tui*, si inveni gratiam in oculis tuis, illumina oculos meos, ut videam *visionem hanc magnam, quæ est mirabilis in oculis nostris.* In hac domo proponetur nobis summus Judaicæ Synagogæ Pontifex, & supremus sacri Concilii Judex Caiphæ, coram quo magni consilii Angelus, primò falsè accusatus, deinde inique

Ps. 39. 7.

Ps. 16. 6.

Cant. 2.

14.

Ps. 16. 8.

Ps. 12. 14.

Exod. 3. 3.